

PETRUS VICTORIUS

LECTORI.

Um olim fidelis liber epistolarum M. T. Ciceronis ad Atticum ad manus meas pervenisset, causa ille quidem mihi fuit multorum laborum: studiosi autem humaniorum literarum non parvæ utilitatis: adhibita enim multa cura ac diligentia, contuli cum ipso vulgata exemplaria earum epistolarum: sustulique inde infinitum pene numerum sedulissimarum macularum. Præcipue autem egregiam operam navavi ope illius exemplaris, in Græcis vocibus, totisque sententiis ejus sermonis restituendis: quarum pulcherrimarum gravissimarumque plenum hoc volumen est. Quam multæ autem lacunæ prius illic essent, aut verba Græca parum apte expressa, facile omnes animadvertere poterunt, qui sumperint in manus epistolas has, ante id tempus excusas. Præfati igitur quod potui tunc summas cum fide ac studio in hoc opere expoliendo, ut omittam labores, quos etiam sustulimus maximos in cæteris operibus politissimi scriptoris, orationibus excerptis, emendandis. Existere postea alii, eruditii & ingeniosii homines, qui & ipsi non parum operæ posuerunt in iisdem his epistolis corrigendis, multis undique calamo exaratis libris collectis: illi tamen ita integrum fideleque exemplar, uti meum est, nullo suo labore, invenire poterunt: in quibus etiam fuit, qui hoc a me non sine causa tantopere laudatum, Ferrarie vidit, atque optimum quoque semper existimavit, cum ipsum Benedicto Accolto Cardinali, discreti viro ac valde studioso eloquentiæ Ciceroniani, commodassem, apud quem tunc erat Octavianus Pantagathus, vir probus & satis acutus in scriptis veterum anchorum examinandis, quod tellari volui ut sciant admittendi omnibus, qui possent illustrare suis vigilis optimos scriptores, præbuisse non mihi soli facultatem hujus rei ordine gerendæ custodisse: cujus animi mei testimonia multa atque exempla, si opus

esse judicarem, afferre possem. Quia autem liber hic non penitus mihi cognitus tunc fuit, cum fidelitatem ejus perpexisset, neque etiam Angelo Politiano, qui ipsum cap. LIII. suorum Miscellaneorum valde laudavit, & de fato quodam ipsius diligenter locutus est; volo de origine ipsius quedam prædicare: fuisse igitur Politianus narat quatuor suæ cuiusque ætatis eruditissimorum virorum, etii de primo, qui Franciscus Petrarcha fuit, non plane ipsi constitit, qui tamen (ut postea inventum est a me) non solum ipsum possedit, verum etiam sua manu scripsit, expressum e veteri exemplari, quod ille reperit, cum diu multumque (ut in epistola quadam sua narrat) epistolas has Ciceronis conquisisset, quæ ante id tempus in tenebris latebant: nec solum volumen hoc ipsum descripsit, sed etiam illarum, quæ Familiæ vocantur: quæ, cum apud nos in divi Marci bibliotheca custodiantur, creditur hujus diligentissimi viri manu exarata esse: constantique hæc est opinio de illis in animis nostrorum hominum; cujus etiam rei argumentum est, quod Gallicis literis liber exaratus est: quis enim nescit vixisse Petrarcham in provincia Galliæ longo ætatis suæ spatio? quare imitabatur in scribendo characteres ejus terræ peculiares: agnovissent autem formam earum litterarum plures adolescentæ Galli, studiosi humanioris doctrinæ, qui, studio codicem hunc ipsum ostendi, cum transirent hæc, Romam proficiscentes: Quod autem omnem scrupulum evasit, hujusmodi est. Ludovicus Beccatellus archiepiscopus, senex optimus, & omni honore dignissimus, de cujus eruditione, probitate usu magno reipublicæ Christianæ, in qua administranda summa cum laude versatus est, supravacaneum esse accuratius disputare, in aliis nonnullis egregiis monumentis antiquitatis, quæ habet, habet etiam epistolas plures, quas suspicabatur, conjecturas quasdam secutus, Francisci Petrar-

ttarchæ esse: neque enim integræ voces hæc illic sunt, sed primæ tantum & præ-nominis & nominis literæ in illis notatæ. Cuppius igitur veritatis investigandæ, quaesivit ex me an verum foret, quod aliquando audivisset, extare apud nos Ciceronis epistolas Petrarchæ manu scriptas. Respondi id quod erat, me ita opinari, cunctas ipsius, quæ vetustate consumpta non sunt, in duobus voluminibus hic inveniri: quorum alterum apud me esset. Continuis igitur accurate epistolas illas Petrarchæ pu-tilas: minutæ enim sunt tenuisque, (quæ causa fortasse fuit, ut postea in volumine, quod editum est, redactæ non fuerint) cum meo epistolarum Ciceronis volumine: singulique literis formique ipsarum ponderatis, convenire omnia mirifice inter se animadvertimus, ut prorsus & illæ & codex meus ab eodem homine scriptus intellexeretur. Utinam inveniretur exemplar, unde has ad Atticum descripsit Petrarcha, ut extat illud, quo usus est in describendis alteris illis, quæ Familiæ appellantur (de cujus libri antiquitate, omni veneratione digna, magnifice multa, vereque alio loco prædicavi) considerem me auxilium ejus antiqui libri non pauca adhuc loca in his epistolis emendare posse, præsertim ubi Græca aliqua vocabula sunt, cujus sermonis Petrarcha, vitio illius ætatis, imperitus fuit: nec tamen non (ut exarat omni in re accuratus) ita etiam verba illa, ignota sibi, pingebat, ut cuncta pene non magno labore legantur. Nam quantum caliginem aserat sæpe unius literæ perverio, facile omnes animadvertere poterunt, qui in hoc munere corrigendi antiquos auctores, aliquantum versati sunt. Cum autem (ut opinor) hujus vetusti libri jactura facta sit, ereptumque e manibus auxilium majus purgandi has epistolas, affirmare ausum multis iudicis testimoniis: que hujus rei perpsectis, nullum fidelium exemplar harum epistolarum inveniri, quam hoc ipsum est, quod jam pridem ego canto: cæteraque, quæ calamo exarata videntur, fluxisse ab hoc prorsus puto, aut fortasse ad illo ipso, unde hoc descriptum fuit: neque enim negarim fieri etiam hoc potuisse, & cujus tamen rei vestigium certum nullum vidi, nihilque contra correctum adhuc in his epistolis cognovi, cujus veræ lectionis non appareant vestigia in hoc

meo exemplari, præterquam si qua conjectura restituta sunt: quæ ratio corrigendi veteres auctores quam lubrica & periculosa sit, arbitror me multis argumentis docuisse. Cum igitur post spatium xxv. annorum voluntas tulisset, ut rursus hoc clarum opus recolerem, atque id nunc facere a quibusdam familiaribus meis impulsus essem ac pene coactus, confugi iterum ad eundem illum librum, a quo primo tantum præfidi accepi, atque ipsum sedulo tractavi. Observavi autem in hoc quod soleo, & quotidie magis verum esse, custodisque debere intelligi, ut ne latum quidem unguem discederem ab auctoritate antiquorum librorum: in primis autem hujus, merito quidem mihi probati, exemplaris. Vellem Deus opt. max. mentem dedisset, ut idem facerent, non paucis, doctis & ingeniosis viris, & non tantopere illi acuminis sui ingenii indigerent, meliore loco (ut arbitror) veteres scriptores forent. Quod si aliquando etiam labis aliquid mendique ipsa occupavit, quod speciem recti habeat: & non aperte culpa librorum commissum esse cognoscatur (neque enim inficior errata quedam hujusmodi in ipsis etiam aliquando inveniri) malo cum antiquis libris errare, quam nimio amore rerum mearum, arrogantique quodam genere unum aut alterum locum emendare, dum tamen, quod illis contigit, in multo pluribus labar ac peccem: quod commemorasse volui iustitiam mei defendendi causa, non consuetudinis aliorum infedanda. Cum autem olim, incumbens in hanc curam, loca fere solum harum epistolarum, quæ videbantur mihi restituisse, brevibus scriptis meis comprobarem, & nonnulla quoque, quæ mihi suspecta erant, mendoseque videbantur, indicarem: nec multum studii posuissem in illis, quæ obscuriora sunt, declarandis, nunc in hoc meo iterato labore me aliter genere decrevi: ac quæcumque putabo explicare egerè, aut aliquo pacto illustrari ornarique posse, norabo: nec cessabo etiam aperire suspiciones quasdam meas, & non pauca, quæ in mentem mihi veniunt, non aliena (nisi fallor) a sententia auctoris elegantique Latini sermonis, quæ temporali illi reservavi: neque enim me adeo hebetis ingenii hominem esse puto, ut non possim, si velim, loca mul-

multa, quæ depravata hic sunt, ita reconcinare, ut sensus aliquis commodus in delectari: enitarque demum utilissimum hoc, multisque de causis amandum M. Ciceronis opus, quæcumque ratione potero expolire. Quod tamen, ne nunquam faciam, impediore nonnullis institutis meis laboribus ac pene ad exitum peractis, quos si absolvero, statim animum convertam ad hanc curam, ac fidem meam liberabo, utinam, in quo plurimum nunc laboravi, plenus efficere potuissem: cunctaque menda hinc tollere: restant enim non pauca: atque ea quidem adeo molesta, ut non videantur posse sine opo fidelioris libri aliquid ingenio tuto deleri: placet enim mihi plagas hujus pulcherrimi corporis aperire, quod sane non sine dolore facio: studium certe meum non desit ac desiderium acre præstandi hoc, quod desiderium nunquam in animo meo, dum vivam, extinguetur: usu enim mihi venire credo in honesto amore harum epistolarum fidelissimique ipsarum exemplaris, quod in libidinoso amore semper contingere affirmat apud Euripidem Hecuba, ubi suadet Menelao ne patiarur imponi in eam navim, qua ipse (domum rediens) veheretur, recuperatam longo bello, impuram ac concelceratam mulierem, metuens ne vetus flamma rursus in pectore teneri viri accenderetur: atque ita ipsa gaudere non possit supplicio Helenæ, que sibi univertorum malorum, que cadere in hominem possunt, causa existitisset. Inquit igitur illa, Nullum unquam inventum esse amorem, qui non perpetuo amaret: dilexi enim ego quoque vehementer, cum primum ipsum nactus sum, librum hunc,

ac quotidie magis, perspecta ejus bonitate, multisque testimonis confirmata, diligo: qui etiam amor me impulit ut ipsum collocarem in pulcherrima ac stupiosissima totius orbis Mediceæ bibliotheca: ita namque ille magis ab omni periculo vacuus erit, quam si in privata domo custodiretur: & in claro illustrique loco possetur, ante oculos non solum meos, verum etiam studiosiorum omnium manebit: cum enim studium Cosmi Medicis, magis nostri Ducis, adjuvare volens, qui præclaram suppellectilem librorum, acceptam a majoribus, aulamque magnis suis sumptibus, & gratia, qua floret, in pulcherrimo a se absoluto ædificio, consecravit, utilitatibusque literatorum hominum exposuit, libros omnes meos antiquos, & Græcos & Latinos, quos longo studio ac diligentia mihi paraveram, ei dono dedissem, hunc etiam, & delicias atque amores meos, ipsis adjuñxi. Quo ex consilio hoc etiam boni redundabit, quod liber hic, in publico loco situs, me fide usum esse omni tempore in hoc munere obeundo, declarabit, & ne minuta quidem ulla & pusilla in re, fisco illo, aut fallacia usum, quod in primis ego opto & officio famæque meæ opportunum esse iudico. Sed de hoc nimis fortasse multa: quare desinam. Rogabo tantum cupidos liberalium studiorum, ut laborem hunc meum æqui bonique faciant; nec essent ipsi, si aliqua ratione efficere possint, admoveere manus huius maculoso operi: dummodo in eo caute moderateque se gerant.

Florentia, M. D. LXXI.

Sebastianus CORRADUS Lectori.

Quinque jam prope sunt anni, cum ego Venetiis cum Sylvestro Mauroceo Joannis F. viro, quem semper honoris causa nominabo, ita vivebam, ut nihil mihi neque ad animi tranquillitatem, neque ad otium deesse videretur. Id otium cum ego in Græcis literis majorem partem consumerem, & jam tum deinceps in facta philosophia consumerem constituissem, adulescentes non pauci nobilissimi, & studiosissimi, qui me vel apud Egnatium præ-

ceptorem illum nostrum norant, vel Quæsturam, & ex illis in epistolas, quæ familiares dicuntur, nostra tum primum descripta legerant, a me cum per se, tum per amicos communes summo opere contenderunt, ut sibi Ciceronis epistolas ad Atticum subjecivis operis explicarem. Illos ego libenter sane quidem ad alios rejecissem, quod onus mihi gravius imponi videbam, quam quod possem sustinere, sed ego & illi valde instarent, nec ego fore-

team, quod a me honeste petatur, negare, id suscepi, & ne, quæ interpretando vel invenissem, vel excogitarem, proliis perierat, & scriptis mandavi, non eo minus fidus consilio, ea ut unquam apparerent, sed si unquam alias accideret, ut eas epistolas interpretandas susceperem, ea mihi soli ut prodessent, ut tres jam annos, quibus eas epistolas Regii publice interpretatus, profuere. Ut enim a micellimi mei Petrus Vigorius, & Paulus Manutius viri doctissimi, & de literis latinis optime meriti, plurimum operæ, & studii in eam rem contulerint, quia tamen neuter illorum totum opus exposuit, sed alter castigationibus, ut vocat, alter *explanat*, centum septuaginta summum contentus fuit: atque in eo opere declarando is est labor, cui nunquam exhausti fatis est, ut inquit Poeta, mihi necesse fuit hisce temporibus annis non ea modo, quæ Venetiis scripseram, iterum legere, sed alia etiam addere, multa comminisci, & nihil non tandem tentare, ut quam expectationem mei apud cives meos absens concitaveram, eam præsens sustinere, ac tueri possem. Non dico quid in ea re sim consecutus; illud dico, M. Antonium Flaminium, & Romulum Amasæum viros optimos, & homines doctissimos, mihi quæ summa beneficentia conjunctos, superioribus mensibus Regium cum venissem, Pontificem Maximi, mihi anctores fuisse, ut, quæ interpretandis explicata, ea foras dari fierent, nec pateret, quantum esset in me, librum longe omnium re vera, & doctissimi cujusque judicio utilissimum, de manibus hominum, rerum, quæ in eo sunt, ignoratione quasi deponi. His ego etiam poteram respondere: *ὅστις νεβουλα κέραι*, & cur vos bovi cistellas, cum vestrum hoc sit onus? quia tamen sciebam & eos in aliis rebus multo majoribus, quæ ut spero, brevi apparebunt, occupatos esse, & id a me quasi debitum jam postulari, & pene flagitari, ut quemadmodum familiares olim, ita nunc epistolas ad Atticum illustrarem; quæcumque in eas vel scripseram, vel a me excogitata, & de superiori loco dicta memineram, collegi, & in commune contuli, sperans fore, ut aliquid operis, atque adeo lucis harum epistolarum studiosi videar attulisse. Hæc tu, benigne le-

ctor, ita leges, ut ab homine profecta, qui unum illud egerit, ut tibi prodesset, putarique id vel maximum suorum laborum premium fore, si id esset consecutus; atque ut ea commodius legas, & melius intelligas, placet rationem, quam securi sumus, paucis exponere. Librum igitur cum libro, rem cum re, & tempus cum tempore ita conjunximus, ut, quod scripsit Cornelius Nepos, qui sexdecim hæc volumina epistolarum ab consulatu Ciceronis usque ad extremum tempus ad Atticum missarum legat, non nullum desideret historiam contextam eorum temporum. Et sane Cicero historiam quasi contexere videtur voluisse, cum epistolas non solum suas, sed alienas etiam in hæc volumina referendas curavit. Epistolas nos ipsas multis locis ita permissas, & confusas, ut tibi chaos quoddam conferret, ad arbitrium nostrum & conjecturam secimus, & divisimus, arbitrati, quamvis suo profus loco non fuerit secta, & divisa, sic tamen & rem totam facilius intelligi, & ne eadem sæpius repetentur, re lector ad singulas epistolas ita numero signatas commodius reici posse: præsertim cum sub eodem numero epistolas, & *ἐκείνη* nostra sumus complexi. Neque tamen cur ita fecerimus, semper nobis rationem reddendam esse duximus: quæ & quævis per se intelligere poterit; & nos brevitati in primis studuimus: in quo Græcos interpretes, & præsertim Homerici sumus imitati. De propriis nominibus cum doctorem hominum diversas opiniones esse videremus, quæ alii ne quærenda quidem putarent, alii vero epistolas hæc a nemine posse interpretari crederent, nisi ab eo, qui historiam omnes etiam privatorum hominum ut unguis nosset suos, nos, qui neque multum, neque nihil opera dandum huic rei semper censuimus, nominæ eorum, qui vel ita inenitiles fuerit, vel ita rejecti a scriptoribus, vel recepti illi quidem, sed ita cum illorum libris desiderati, ut vix, ac ne vix quidem inveniri posse videretur, curiosis quærenda reliquimus, præsertim si ea cognoscere, sine magni retere putavimus: illa vero, sine quibus res intelligi non poterat, quam diligentissime potuimus, sumus perfecti, neque tamen veriti sumus, ne, quæ in re motus est Cicero ipse in his præsertim episto-

epistolis, in ea nos nimis curiosi esse videremur. Atque illud quidem in primis curavimus, ut Ciceronis epistolas ex Ciceronis epistolis, cæterisque ejus libris potissimum interpretaremur, & sæpe locum cum loco conferimus. Quod si forte quid occurrit, ut multa occurrere, ubi cæterorum scriptorum auxilio esset opus, nullum fugimus laborem neque illis legendis, neque his, quæ multa in hisce epistolis græve scriptis, recte vertendis. Quibus quidem in rebus nullus scriptoris nomen, quod in nostris familiarium *prohælois* scimus desideratum, tacuimus. A primo quidem non ita cogitaram, ut minima quæque quasi interpres persequeretur: sed me postea & rei susceptæ amor & communis utilitas movit, & pene monuit, ut nihil fere, de quo vel dubitari posset, prætermitterem, præsertim si ab aliis aliter vel descriptum, vel interpretatum fuisset. Videmus enim nullum esse librum, in quo tam librarij, quam interpretes minus operæ, & studij posuerint: semper tamen excipio Andream Cratandrum, Petrum Victorium, & Paulum Manutium, qui pro virili parte laborarunt, ut librum nobis hunc quam emendatissimum traderent: quod illi, quæ sunt illorum diligentia, essent affectu, si plures libros manu scriptos habuissent: sed cum duo tantummodo hujuscemodi libri qui auctoritatis aliquid habeant, hodie reperiantur, alter in Italia apud Petrum ipsum Victorium, qui Francisci Petrarche fuisse dicitur: alter in Germania, quem Beatus Rhenanus legit, & Cratander videtur secutus, & hi quoque, ut apparere, dimidiati, &

Leonardi MALESPINE Prefatio.

NON eram nescius, Lector, cum primum induxi animum, ut in his epistolis M. Tullii Ciceronis ad Atticum, vel emendandis vel explicandis elaborarem: quam difficile arduumque negotium, quam etiam invidiosum, calumniaque subiectum susceperem. Namque, ut omittam, quantum mihi, jam tum animo prospicerem, subeundum esse laboris, in conquirendis undique comparandisque vetustis libris, quorum est ingens inopia præsertim honorum: quantum opere in his u-

corrupti, ex his difficile esset, vel potius plane *impossibile* ita omnia restituere, ut nihil desiderares. Quare nobis & ea, quæ illi in medium protulere, *restruati* consideranda fuerit, & libri, *non novi*, tum veteres ad unum omnes legendi. Quis in re quid laboris tulerm, & intelligere possunt omnes, qui fœnel sunt experti, & tu, Lector, legens judicabis. Mito nunc, quot libri manu illi quidem, sed male scripti, & pene lacerati nobis vel Venetiis, vel Bononiæ, vel alibi fuerint volvendi: quot de conjecturis doctissimorum hominum quasi conjecturæ faciendæ, quot denique opiniones, & interpretationes ex amicorum libris describendæ. Nihil dico de tempore, quod locis explicandis, quod *difficultatibus* solvendis, quod notis interpretandis consumpsimus. Taceo quoque leges, plebiscita, senatus-consulta, & Prætorum edicta: quæ nobis omnia vel invenienda, vel certe fuerant explicanda. Illud unum dico paucis, nos pedibus & manibus contendisse, nullam fugisse laborem, nullam rei familiaris, aut temporis habuisse rationem, ut quod opus longe omnium difficillimum propter rerum ignorantem videbatur, nunc per nos quam facillimum, & planissimum exiret: quod si consecuti sumus, tu, Lector, Deo Opt. Max. gratiam habebis, & id boni consules, nosque amabis: in sæpe, ut veremur, offendimus, tum erit exillimare nos homines esse, & quod præstare potuimus, ad omnium usum libenter contulisse. Vale. A. Kal. Jan. M. D. XLIII. Regio Lepidi.

no tempore, non modo perlegendis, sed, quod est subodosum, inter se etiam conferendis consumendum: illud, quantum videri debuit, quam periculosum ac lubricum, in summa lectionum varietate, varietate autem? fœditate ac deformitate, vel recta ac prava judicare, vel depravata corrigere, suamque his, quoad ejus fieri potest, speciem restituere, aut eam certe adumbrare? Tantum scilicet, quantum si modo intelligi, qui sunt in hac arena aliquando versati. Ut est enim dulce, quod dici solet, inexpressis

pertis bellum, ita iis, qui hoc ineluctationis genus non attigerunt, ludus fortasse videatur ac jocus, ex *Quidem erit, Quid emerit*: ex *Scitulum, Scitulum*: ex *Sit tibi, Syrtis*, facere? Tantulumque est, inquit, in unius literule aut *syrtis* vel mutatione, vel traiectione, vel adiectione negotii? Sic illi, puro, cum locum emaculatum nacli fuerint, Quibus ego, ne diutius opinione fallarum, vehementer auctor sum, ut locum sibi ipsi aliquem male affectum proponant: suppeditabunt ii libri vel D C: in quo periculum faciant sui ingenii. Sentient, profecto sentient, quam sibi inaniter ipsi subblanditi fuerint: quam suam de se ipsi expectationem deceperint, esseque sibi negotium intelligent, cum monstros plus quam Herculeis. Quid? tu igitur, dicat aliquis, hanc tibi sapientiam alicui præter cæteros, ut illud proficere, cuius tu spem quodammodo reliquis, aut dimittas, aut præcidas? Minime ego quidem: nec sane est, cur alicuiam: sed hoc volui dicere, opus quod institueremus, operosum esse, multaque contentiosis: & nos jam inde ab initio sic prævidisse, ut illud quoque multos fore qui hoc nostrum consilium infortunatè reprehenderent.

Audisse enim me quosdam memoria teneo, in eos graviter stomachantes, qui huic ipsi operi manus admovent: non enim purgari libros, sed cædari: non tolli vitia, ut existimantur, sed alia super aliis cumulari: dum quisque vel ex suis libris si suppetant, vel ex suo sensu, aliter atque aliter emendat, jam tutum ac certum quod sequamur, nihil relinquere: ut jam præsertim ad Aldinos, atque his etiam vetustiores se referre. Jam vero, quod ad rem ipsam attinet, negotium sane leve esse, & ad eloquentie summam, nihil aut parum conducens. Quid enim tantum obicit, inquit, unius atque alterius vocis aut sententia nonnunquam ignorantio, que tamen nihil minus aliunde, non uno ex loco, sed pluribus si res poscat, abunde tibi potestis comparare. Præsertim enim gubernatoris esse: quoad ejus fieri potest, scopulos declinare, nec committere, dum, aut animi pertinacia, aut levitate evectus, redivit tenere cursum proorsus contendat, vel ad saxum adhaereat, vel, si illud tamen veluti Xerxes perfrigerit, cursumque sibi aperuerit, ferens in portum, quam suis

rationibus expedit, pervehatur: magna que boni orti iactura, tantula victoria consistet. Postremo addunt: hoc eo etiam odiosum, minime ferendum esse, quod hoc malum, oportio fortasse animo commotum, ita brevi, non serperit, sed irruerit atque invaserit, ut & novi quotidie emendatores per ambitionem existant, & libri per licentiam deteriorer: ut nisi provisum sit, sane paucis annis, non Ciceronem ac Livium, non Plautum ac Terentium, sed mera infœmia adaciffimorum hominum simus habituri.

Hæc illi, atque his fortasse plura: quæ, cum mihi videantur per delicias potius atque inceptas, occulte tamen invidentia, sed quæ appareat, implicitas, quam vere atque ingenue prolata, detertere me ab hoc conatu non poterunt. Sunt enim quidam sensu sic depravato, ut cum aliquam industriam habere gratiam debeant, invideant: & quod ipsi præstare non possunt, damnant in aliis: laudemque prudentia atque doctrina, non tam ipsi scribendo, quam aliorum scripta insedando aucupentur. Qui tamen ipsi (ut animi morbum agnoscat) si quid in eo genere forte excogitaverint, hoc non modo non dissimulant, non compriment, sed quasi illum expugnaverint, ostentant, triumphant: nec minus, quam qui thesaurum invenerint, exultant: ut intelligamus hæc eos, non judicio, cum hinc sibi laudem petant: sed obstrestandi studio culpæ. Et me Hercule, si verum dicere volumus, quotusquisque est hodie, qui si in locum depravatum, inter legendum incidit, non primum ægre ferat, in ipso quasi cursu, velut ad metas adherescendum esse? deinde, ne lectionis fructu privetur, semel atque iterum tenet, si quam rationem possit inire explicandi sui, locumque corrigendi? & si id ex sententia ceciderit, non vehementer lætetur, non modo quia mentem auctoris auctus sit, sed multo etiam magis, quia auctor ipse sibi sententiam illius quodammodo videatur, cui in mentem venire poterit, quod & illi ipsi? Natura comparatum est hoc, & ut cognoscendi cupiditas, nobis penitus insitum. An vero natura opus esse negemus, ad quod æque omnes desiderio duci fateamur? Ergo animum inducere sustinebimus, ut Melles improbemus illas, quarum sementem

in nobis ab ipsa fieri sentiamus. Nimirum pravitatis hujus fons atque origo, livor est. Nam de his, qui sensus infirmitate atque imbecillitate delinquant, nihil plane dicimus: qui quanquam minus sunt odiosi, quam qui malevolentia concitantur (levior enim offensio est ejus, qui per imprudentiam, naturaque vitio, quam qui sciens ac prudens, in fraudem incidit) tamen emendari vix possunt. Hos ergo missos facio: cum his mihi negotium est, qui peccant dedita opera, & fortasse etiam deliciarum causa: quibus tamen responde-re superfedifsem, ratus, doctis & judicio praeclatis hominibus, satis jam factum esse: nisi veterer, ne, si isti tacitum ferant, non tam noluisse nos, quam non potuisse respondere, praedcent. Et simul iis consultum esse volumus, qui longius videre non queunt. Ergo, quid illi criminantur? Contaminari libros, non purgari. In quo eos iustissimam habere causam fatearunt, si quemadmodum sibi suo quodammodo iure ipsi sumunt, ita esset. Nunc, quis est adeo rerum imperitus, quis ita peregrinatur a literis, qui sciat, haec Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, (nam de ceteris eius scriptis atque etiam aliorum silebo) haec vero quis ignorat ante annos quadraginta, perpaucorum hominum in manibus fuisse? Quid ita? Ajunt nonnulli, quod enigmatis de industria obscurata, nulla vi ingenii possint intelligi. Non negamus esse quaedam illiusmodi: sed ea tam rara esse dicimus, ut a reliquorum lectione attere homines non deberint. Vulnerum quibus confixa erant calamitas, hanc culpam verius sustinebat: quae cum essent innumerabilia, rem in eam opinionem adduxerunt, ut quidquid minus perciperetur, id aenigma putaretur: cum plerumque peccata essent, tum librorum, dum minus quam oportet, officio suo intenti essent, tum fortunae conspiciam culpa, contracta: qua haec, praeter caetera scripta Ciceronis, misera adversaque usa sunt. Quare quid sibi velint si, qui mendis, nostra opera inquinari libros querunt, non satis percipio: illud quidem intelligo, doctissimum hominum curam ac diligentiam factum esse, ut quae antea vix ab ullo attingerentur, nunc omnium manibus tractentur, volvantur, terantur. An vero illi visi sunt, cum hoc fecerunt, olem, & operam per-

dere, cum instrumentum nobis illud restituerent, quo haud scio an aliud inveniri possit majus, sive quis pure, atque copiose dicere, sive prudenter velit. Nam mea illa semper opinio fuit: cum dicendi ratio, tum verbis, siquae vel singulis vel conjunctis, tum rebus ipsi conferret: neque res hic deesse, cum memoria annorum circiter triginta (ut omittam alias utilitates) his colligata libris sit: & verborum in omni genere dicendi, sed in sortuito ac familiari sermone, ingens hinc vis & copia suppetat. At possis eadem ex aliis ejusdem libris, ne sit tantum boni temporis consumendum. Quid si illi itidem corrupti sint? Quid si in his singularia quaedam sint, quae alibi non reperias? Nimirum putida est hec & odiosa sedulitas. Illa propemodum non iniusta, quae modum in his querit, & licentiam cohibet, novarumque lectionum cupiditatem: qua factum sit, ut legentium fere sententia fluctet, certique nihil habeat.

Nos tamen sic statuimus, cum deo sint emendandi rationes, una que in veterum librorum integra scriptura, altera que in conjectura suspitioneque cernatur: illam quidem tutam esse, sed queri oportaque sepius, quam optanti quereantque occurrere, ac se offendere. Quod ita esse, eos intelligere certo scio, quibus studium fuit, hec, vel primoribus digitis attingere. Hec ergo felicitas, cum peritro contingeret, hanc sibi veniam docti postularerunt, ut altera liceret uti, quae in conjectura sita est: quam qui omnem profus exhibulant, & quasi majestatis damnata, aequa ignique interdicunt, si mihi mala ratione facere videntur; nec satis quid in quaere re sit, posse dispicere. Ego contra nullam rejicio: sepe enim ad veritatem ducit: sed non omnibus locum do. Cum enim conjectura ratio multiplex sit, ex mutatione, traiectione, additione, mutatione literarum: ex sententia atque historia, penitus damnata ac repudiata scriptura: quae a proposito declinet, quae collimet, vel medicriter eruditi facile sentiunt. Protinus enim, si bona est, animus acquiescit, utroque arripit: si minus acquiescat & arripit, certe melius desiderat. Quare de hac re ita sentio: ei quae doctorum hominum iudicio probetur, sive illa ex scripturae vestigiis, quae & tutior est: sive, ubi

vel

vel desint, vel certe non extent vestigia, ex historia, atque ex ingenio facta sit: dum ne verbis inferendis, corrupta mutilataque loca quasi rimas expleat, locum esse, in serie verborum, velut iustus Eloquentibus in quatuordecim ordinibus, standum. Quod quidem haecumque factitatum esse, vel ex uno atque altero harum epistolarum libro, sexcentis in locis facile possum offendere: in quibus alterum atque in manuscriptis legitur, impressum est, & communi quasi iudicio admissum. Si quidem non esse omnia in consensu exemplarium, iudicioque aliquid dari, illud argumento est, quod non raro unius auctoritas multis praeponeatur. Cui vero animus vix, aut ne vix quidem assentitur, ne ei quidem conjectura, theatri aditu profus interdicendum puto, dum ne eadem sede dignetur. Nam neque aliarum luminibus obstruit, in imo jacens, & saepe ascensum, quamvis per incisos maleque haerentes scalarum gradus, fortibus parat. Hujus ergo modi conjecturae, seu mavis suspensiones ac divinationes, (sic enim appello eas, quae profus a scriptura discedunt, citiusque sententia, quam scriptum nituntur) in medio relictis, quid tantum efficiant, non video, etiam si variae inter se, dissidentisque sint. Nam & in locis depravatis adhiberi solent, ut damni jam nihil fiat: & ad veritatem aliquando perducunt, atque adeo perduxerunt, aut etiam ipsae vere sunt.

Sed neque illud obest; plurimos hodie huic operi manus admovisse. Si enim ubi complures diutius jaculantur, ibi accidit aliquando, ut aliquis signum feriat: cur non hic etiam usu venire credamus, ut hoc, quod multum petant, quoque nervos ingenii sui contentant, aliqui assentiantur? Vidi ego nonnullos, qui, quae alii pro derelicto haberint, ipsi, ut potest, ex vestigio aliquo exemplari cognitum est, sanaverint & illustraverint. Quo in genere, solertissimum cognovi Gabrielem Faernum, amicum meum; cujus ego, paulo ante exincti, et postquam ad meliorem vitam (ea innocentia sunt) traducti desiderium ferre vix possum. Hoc scripti ab eo libri in Terentium, Plautum, Livium, ipsum denique Ciceronem, testarentur, si foras dati fuissent. Sed eos audio, apud studiosissimum bonarum ar-

tium adolescentem simulque & clarissimum Cardinalem Carolum Borromaeum eo consilio servari, ut commodius edantur. Hic tamen licet peripicax fuerit, ad Oesavii Pantagathi gloriam in hoc, non per ceteris in rebus ac disciplinis, non pervenit. Hunc enim unum ex omnibus, in omni iudicio politissimum & elegantissimum, sapie mirari soleo: quem qui Varonem seculi huius appellant, nec illi mihi visi sunt, quid maxime deceat intelligere. Sed, ut in pauca conferam, non est eorum hominum industria contentioque infringenda: quae necesse nihil possit, juvare possit. Eorum tamen, si qui sunt, quos equidem nescio, licentia ferenda non est, qui ut uni sapere, & sui aliquid afferre videantur, reata etiam depravant: sed sentio tamen inter atque etiam videndum, quae illi prava, quaeve recta vocari veint.

Nos quidem non pauca in his ipsis epistolis deprehendimus, speciem quidem praefere naturalis partus, sed adulterina esse, & subditiua. Deprehendimus autem hoc modo. Cum enim ita statuerim, nihil ab hoc prudentissimo, omnibusque doctrinae & naturae praedictis munito ad dicendum magistro, nisi perfectum, atque omnibus numeris absolutum gigni posse: sive ei meditata & elaborata, sive subita & sortuita oratione utendum esset: si quid in ea invenitur nonnunquam, non dicam parum latium, aut secum ipsum vel quem veritate pugnant, (nam id quidem piaculum, nedum stultum esset cogitare) sed involutum, inane, jejunum, frigidum, submissum: illud sine controversia, mendo non carere: nec satis illud esse sententiam habere aliquam, cum optima ab eo possetur. Ergo in hoc casu, si quis locos illi genus in dubium vocet, quod nos quodammodo fecimus: is recta depravare existimando non est: quin illi gratia habenda, ut bene merito: cum recta, sua se vi & veritate teneantur ac defendant, prava, nisi aperiantur, corrigi non possint. Omnino persuasum mihi est, antiquorum libros, erroribus carere non posse. Nam si M. i. ple. Tullius, se vivente, & prope dixirim, spestant, queritur suos libros, scriptorum negligentia consumpti: quid nobis de his est sentiendum, post mille sexcentos

tos prope annos, jam inde ab eo tempore, tot hominum manibus exscriptis: quibus, ad negligentiam, lingue etiam impenitentia accederet? Equidem mirarer magis, portentique simile dicerem, si integri ad nos lingui pervenissent. Atque hæc calamitas, cum ad omnium veterum scripta, tum hæc Ciceronis ad Atticum pertinuit, quæ malo quodam fato pessime accepta fuerint, atque ita toto corpore deserta ac deformata, ut cum nihil his candidius, purius, castius cogitari fas esset, jam miserius, perditius, foedius inveniri nil posset. Quo minus fraudi mihi esse deberit, scibi videbor, quod multis annis ratur alii habuerunt, illud ipse quasi rescindere. Rationum momenta attendenda erunt, non illorum præcepta opinio, qui, misera quadam & importuna religione impediti, dum scripturam defendunt in eaque omnia ponunt, fatua quadam nonnunquam, & a vera sententia discrepantia comminiscuntur.

Ergo ut ad te aliquando me referam, Lector prudentissime, tute ipse cum animo tuo reputes licet quam illi inique faciant, quamque de hominum genere male mereantur, qui hanc ipsam emendandi rationem, ac potius pietatem damnant, aut certe non laudent: nunc mea mihi apud te causa agenda est contra eos, qui cum rem studiumque non reprehendant, me tamen, qui jam inde ab adolescentia in cenobio degam, eamque vite rationem secutus sum, quæ in dicendi exercitatione tantum operæ ponat, quantum sibi ad honestissimarum artium perceptiorem, sensumque nostrorum explicationem, satis esse videatur: reliquos suos conatus & studia, ad sacrarum scripturarum intelligentiam vel referat, vel referre debeat: ac nunc omnia, in his facultatibus tractandis explicandisque consumere, quæ Christianæ religionis nihil habeant, haud sane probent. Nam quod hæc quidem nostra contemnent ante, quam legant, aut ne legant quidem, ut hominis eorum numero hominum, quibus illi fortasse disputandi facultatem scholastico more institutoque concedant, ornate dicendi auerant: subtilitatum Divi Thomæ, Scotique & reliquorum classis ejusdem tribuant, oratorum poetarumque gustum adimant: non valde me perturbat.

bat. Equidem sic statuo, quod & ipsi, nisi nos stuperes ac trunco esse velint, fateantur necesse est, nostris ingenium nec desse, nec defuisse unquam; sed sui ordinis inlustrata studisque secutus, magna atque præclara, si in his minoris apparent, ignoscendum esse: dicendi gloria delectatis, non esse auctoritatem abrogandam: nec ex aliquorum infantia, de omnibus judicium faciendum. Sane e familia nostra, ut de reliquis taceam, in suo quibusque studio nobilissimis, unum atque alterum possum asserere, ne plures dicam, cum quibusvis ætatis hujus eloquentissimis hominibus conferendus: qui si huc se recedissent, nihil esset, cur illi nostrum genus tantopere fastidirent: sed alius illi intuentur, majora divini oraque pectant, quæ neque nos unquam negleximus, idque nos aliquando declaratos speramus: sed alia quadam ratio, non injusta quidem, alio nos traduxit: quam si tibi probare velim, candide Lector, ut honoris mei causa sane cupio, vetustior mihi memoria repetenda est. Namque ab hinc annos paulo plus duodecim, cum optimum & clarissimum virum Nicolaum Rodulphum Cardinalem patronum meum, deus & ornamentum ordinis illius, Balneariam secutus essem: quo se ille quotannis, prolati rebus conferebat: non modo, ut æstivos calores Romane urbis declinaret (est enim locus ille umbratus & salubris, fluentisque & gelidas habet aquas, atque eas uberrimas, illius opera, in latissimum vivarium primum excavo monte, inde in oppidum, ædque adeo ipsas deductas: ut alius, venustus, suavis esse nihil possit) sed etiam, ut aliquando sibi ab arbitris & quotidiana interpretatione remoti, liceret vivere: cumque ibi pomeridianis horis, cum se jam calor paululum fregisset, hoc ipsum epistolarum volumen strictim attingeremus, egoque ut sunt hominum sensus dispariles, ab iis, qui insigne aliquid in eas ingenii sui momentum reliquissent (omnes enim habebamus) alicubi dissentire: & ne hoc unum studio tantum delectatus viderer, periculum aliquando ipse facerem, num loca ab eis vel neglecta, & quasi percipi non possent, deposita & desperata, vel emendata quidem, sed non ita, ut sibi ipsi satisfacerent, ipse aperire, in meliorem

que

que formam, vel exemplarium, quæ tum pauca habebamus, auxilio, vel ingenii vi, cuiusmodi in me esset, restituere possem: atque ea essent non pauca: placuit eidem patri meo, ut literis consignarem. Itaque toto illud calorum tempore, quinque libros conseci. Sed heu, mens hominum, heu venturi necia fati! cum redissent in urbem, ecce fulmen: Paulus Farnesius Pontifex Maximus, quem propter immortalitatem in omne hominum genus beneficia, æquum erat, nostrisque rationibus condecere, esse immortalem: sed is tamen cum suum diem obiisset, extremæque vite spiritum edidisset, haud ita post, & patrono ipsi meo, dum Patrum Senatus ad novi Pontificis creationem convocatus esset, resque, ut sæpe accidit, longius duceretur: repentina quadam vis morbi, in optima spe altissimi gradus civitatis, vite finem attulit, & studia illa nostra relinquit. Quapropter annos aliquot, literam eo in genere nullam fecimus. Nam, etsi in his indormire non plane soleo, arctamen hominis illius natus & significatio, quantam mihi facem admovebat! Tantam scilicet, quantam deicit admoveat eum, de cujus egregia erga me voluntate, certa sæpe pignora cepissem: quique literatos homines, & insigni aliqua arte ornatos, quos ille domi, non inani quadam specie, aurave populari, qua plerisque duci non ignoramus, sed veritatis virtutisque amore incensus, complures haberet, summisque honoribus ac præmiis afficeret: ipse, cum liceret per Republicanam, nullam pene horam amitteret, de rebus studiis, cum iis vel loquendi vel meditandi. Fuit omnino vir ille, cui passim omnes testimonium moderati, & ad honestum otium nati animi, sine controversia darent: fortis etiam & prudens, qui eo familiarius uterentur: quo id minus testari orbis terrarum posset, quidam hominum fraudem & perfidiam (nam reliqua satis prolixa videbantur) accusant: nos fata tantummodo, aut potius inscrutabilem summi numinis voluntatem, causam fuisse iudicamus. Etsi hic forsitan locus, casum hominis vicemque deplorandi, nisi tanto intervallo verendam esset, ne non modo importuni, sed etiam inepti videremur. Quare, abeat ille optimis omnibus, nos ad institutum

Tom. VIII.

sermone revertamur. Hanc dicimus cessandi nobis causam, complures annos fuisse: quoad Iulii doctissimi & gravissimi viri Marcelli Cervini tum Cardinalis, in cursum revocati sumus. Jamque opus ad finem penè perduxeram, cum ille Pontificatum cepit. Sed, ut sunt res hominum fluxæ atque incertæ, ante ereptus est e vita, quam quid esset agnoscere, ut ita dicam, posset. Ergo ut hæc rursum abjicerem ac damnam, cum acerbum hominis fatum, tum consensa nostra tempora, quibus usque adeo vexati sumus, vix ut consistere poterimus, effecerunt.

Verum, quo hæc nostra tam longa spectat oratio? ut si quis forte in persona hominis sacerdotis, studium hujusmodi, quod quidam profanum solent appellare, reprehendat, huc nos duos præstantissimos facrorum, religionis, ceremoniarumque antistites, quorum de sententia & auctoritate rem suscepimus, opponeremus: quibus omnino impium fuit hominibus sanctissimis non obtemperare & obsequi. Quanquam, si hoc quidem vitio datur, eripiat e sacerdotum manibus vel Aristoteles ipse: abiciatur vel Plato: quorum neuter, omnium bonorum sententia, nec scriptor gravior aut religiosior: nec civis integrior, aut honestatior, temperantior, iustitior, constantiorque retinentior. Divum certe Augustinum, Christianæ Reip. columnem, insigniique doctrina & pietate præditum, non puduit fateri, & literarum quoque monumentis testatum relinquere, se, viri huius lectione, principio mentem avertere a mundo, & ad Deum erigere sustulereque cepisse. Sed quid ago? Quasi non hæc in eis culpam soleant, qui posthabita cura sacratissimorum librorum, in his versentur tantummodo & acquiescant. Quod equidem eo pro vite mæ ratione, ne mihi posset obici, etiam atque etiam cavi. Nam ne tum quidem, cum huius uni te maxime fluderem, diem ut præteriret commisi, sine linea: quin idem mihi dies finem penè attulit eorum studiorum, qui & viris illis vitæ. Itaque jacuerunt hæc dein in tenebris, & jacerent adhuc, (neque enim ego ea multum amabam) nisi amico meo, quos complures habeo eruditissimos, non modo vobis, sed quodammodo etiam comocibus, in aspectum lucemque evocata fuissent.

D

&

P R Æ F A T I O N E S .

& quasi ab Ore excitata . Qua in re (facilem est enim) plurimum apud me valet, eximia spe, summaque virtutis adolefcens Alphonfus Cardinalis Carafa : quem ego cum ad reliqua studia præclarissima, tum ad dicendi gloriam ita incitatum vidi : ita magnos progressus jam fecisse, ut aliis disciplinis avitum nomen aquaturus esse videatur, dicendi laude etiam superatus . Et sane apud me, eo etiam plus esse illius auctoritas debuit, quod tota natio familiaque nostra, in eus fide jandiu clientelaque sit : ut suo etiam jure quodammodo, ut patronus imperare poterit . Li ergo auctores mihi fuerunt, ut hac emitteremus : quibus haberi gratiam volumus, si hoc industria nostra affecto sumus, ut ex parte aliqua, studia juventutis iuvaverimus : sin minus, ignosci tamen faciliati meæ, qui officio mentis, illorum obsequi voluntati maluerim, quam existimationi meæ . Me tamen res una illa consolatur, quod multis sæpe argumentis didici, paria in his momenta & integritatis animi, & iudicii reperiri : ut nec aliter ac sentiant loqui, nec sentire nisi egregie ac sapienter poterint . At, prope est, dicat aliquis, ut eam tibi laudem tribuas, quam nescio an quiquam nemini : ut nihil offenderis, nihil tibi tabaveris . Nequaquam vero : neque enim usque adeo infansio : sed fateor me, ut non pauca recte excogitare, ita non raro etiam, ut fert hominum natura, in saxum ut dicitur impingere, & existimatione falli potuisse : sed tamen illa ipsa, quæ recte dici videntur, viros illos in eam mentem induxisse, ut me ad editionem hortarentur .

Satis jam mihi videor, causam tibi meam probasse, Lector candide, adversus eos, qui in mea persona, hac studia non ferant : restat ut fidem moreseque meos probem . Sunt enim qui emendatores in hac calumnia vocent, ut eos dicant, quo suis opinionibus fidem faciant, falso nonnunquam vetusta exemplaria laudare, contentos consule atque permixte dicere, Quidam libri sic, aut sic habent . Nos ergo quo eam fugeremus, nunquam aut peritro hoc modo nostra confirmamus : & tamen si quando accidit, unum aut plura ex his intelligi volumus, quæ nominatim appellavimus . Undecim vero ha-

buius, ex quibus quinque cum vulgata Manutii atque etiam Victorii editione, diligentissime conferentes, a carceribus, ut dici solet, ad calcem usque persequimus : nempe Faerni duos, quorum unum, Romanum exemplar appellare soleo, quod sub id tempus Romæ impressum fuerit, quo hæc typis excudendi ars, divinitus est inventa : alterum Faerni plus nomine, valde probum & antiquum : quos ambos apud eos esse arbitror, qui librorum ipsius fuerunt heredes . Guidonis Lolgii item duos : unum manu Poggii Florentini (ita enim in fine libri legitur) descriptum, ab editione Victorii, sive Græca sive Latina spectes, non magnopere diversum : alterum recentiorum, quem librum Lolgii ubique, ut illum Poggii voco, quos qui volent (ea est hominis humanitas) arbitrato suo poterit inspicere . Quintum e Bibliotheca Dominici Grimani Cardinalis accepti quam vir ille clarus & magnus, in nostris ædibus Antonianis Venetiis excelsitavit, omniumque librorum copia & varietate infuitit atque ornavit : quæ nemini clausa est, insere volenti . Hos ergo quinque in potestate habui, totoque totius syllabatum fastidiosaque contuli : reliquos sex, quod nihilo meliores comperiebam, prout res tulit, consuli potius fuerunt doctissimi viri Bernardini Massei Cardinalis, quos penes heredes reperire licet : unus Cardinalis mei, qui post obitum illius, cum reliqua optimorum librorum bibliotheca, in manum venit clarissimi Imperatoris & fortissimi hominis Petri Stroza, non minus latinis græcisque literis, quam animi magnitudine, quæ cæteros superavit, præcellentis : quam omnem bibliothecam, audio Philippum filium, cum reliqua cum pecuniarum, tum virtutum paternarum hereditate crevisse . Reliqui duo libri, alter apud Octavianum Pantagathum erat, cujus ille mihi copiam, quotiescunque volui, ultro feci : quem tamen aiebat fuisse, eruditissimi viri, & innocentissimi Episcopi, Antonii Augustini : de quo vere hoc tempore affirmare possumus, quod suo de Q. Scævola dixisse Crassum, M. Tullius scribit : esse illum Jurisperitorum eloquentissimum, & Eloquentium jurisperitissimum : alter

P R Æ F A T I O N E S .

in nostris ædibus Divi Servatoris Bononiæ, in locuplete & ornatiflima Bibliotheca : quem ego ea præteriens, aliquot in locis, ut sit, nullo ordine attingi . His ergo omnibus usus sum : quos ego, quorum in manu essent significare volui, ut, si cui fides nostra in suspitionem veniret, is haberet unde eam posset deponere . Nos certe ut a culpa conscientia absumus, ita omni suspitione mendacii carere volumus .

Enmendationum vero & suspitionum inscripsimus : ne eodem loco videremur habere & quæ ex ingenio, & quæ ex vetustis libris restituta sunt . Nam cum sciam, scriptum, imaginem esse scriptoris voluntatis, hæc atque illa, in aqua lance non pono : sed correctiones & coniecturas, his divinationibus præfero, quas nobis ipsi formamus : si & Cicerone dignæ illæ sint, nec historici sententiæ repugnent . Ita enim iudicium sequi malo . Siquidem ob eandem causam, unius libri auctoritatem, multorum sæpe consensione, potiorum antiquiorumque ducimus . Et tamen ubique fere assensionem sustinemus : nostrarumque omnium existimationem, doctorum hominum iudicium esse volumus . Unde factum est etiam, ut cum his nostris vigiliis, epistolæ ipsas, de integro ne excudendas curarem : sed postremam editionem Manutii, epistolarumque sectionem omnem secuti bene sumus : lectores monentes tantummodo, si quid aliquando vel aliter scriptum in meis exemplaribus inveniretur, vel melius a nobis excogitatum videretur . Nam si undique purgata esset, vitæque nihil haberet, inanitas & ridiculus fuisset conatus hic noster . Nunc vero, non paucis adhuc mendis inquinatam accepimus : atque ita dimitimus, ut campus aliis quoque relictus sit (vellem erumpi) ubi ingenium industriamque suam atque vires exerceant . Nobiscum præclare actum videbitur, si possimus dicere, ut quando omnem non valuimus, aliqua ex parte meliorem reddiderimus . Qua quidem in re, sæpe mihi Octavianus Pantagathus, oraculum, ut sic dicam, meum, subsidio fuit : sæpe Donatus Jannochius, ad quem, dum Nicolaus Rodolphus vitam ac spiritum duxit, nosque una fuimus, si quid deliberationis egeret, referabam : hominem acri certoque iudicio : quod testa-

tum esse volui ad memoriam sempiternam . Studiosius autem bonarum artium oratorum velim, ut se nobis benignos atque probeant : ut si non pauca commode dixisse videbimur, ne quod non potuimus reprehendant : & , si qua in re, ut ne cesse est, offendimus, id tanti ne sit, ut illa etiam quæ fortis tant laudanda, obficeret & obruat . Sane quidam hodie iniquissime faciunt, qui in alienis laboribus, vitia acutissime videant : & magna voce pervolvunt : ad recta connovent : ac perpetuo silentio involvant : tantum for laudant demptum existimantes, quantum cedant aliene . Illud admonendum videtur, nos officium quidem correctoris, sed sibi quid mihi aut mei similibus dilucidum minus esse visum : vel ab aliis omnifum : (neque enim actum agere volebam) vel aliter ac mihi videretur explanatum, etiam expositoris executos esse . Argumenta in libros singulos earum rerum, quæ historiam tantum illorum temporum, non etiam res privatas domesticasque continent, concisum : moniti sunt in vita Attici, de eo sic scripta . *Quantum cum præcipue dilexerit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior . Et rei sunt iudicio, præter eos libros in quibus de eo facti mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab Consulatu ejus usque ad extremum tempus, ad Atticum missarum . Quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum . Sic enim omnia de studiis principum, vitis ducum, ac mutationibus Reipublicæ postscripta sunt, ut nihil in his non appareat : & facile existimari possit, prædientium quodammodo esse divinationem . Non enim Cicero ea solum que viros se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, que necesse sunt, cecinit ut videret . Hæc ille, quæ hinc eo libentius transtulit, ut ad hominum sectionem librorum, animatus vehementius sis Lector, unde intelligas te, non modo eloquentiam, a latineque sermonis puritatem, sed prudentiam quoque & sapientiam posse referre . Atque hic mihi modus finis que sit præfationis hæc .*

Anno MDLXIII.

Simeo BOSIUS *Lectori.*

U S US sum in his epistolis emendandis tribus exemplaribus manuscriptis; quorum duo antiquissima erant & optima, Tornæsanum, ex cuius fide pleraque integritati suæ restituit Lambinus; quæ erant antea valde depravata: & De curatum, quod ipse ante annos quindécim a gregario quodam milite cum aliis aliquot libris calamo exaratis comparavi, ex bibliotheca cuiusdam sacra direptione, tamquam e periculosissimo naufragio, servatum. Id autem plurimis in locis emendatus scriptum reperi quam Tornæsanum. Quænamque erant in eo multa lacerata, deæranque alicubi integræ pagine, totique ultimi duo, aut De curatum appellare soleo. Tertium mihi præbuit ornatissimus doctissimisque vir Ericus Memmianus, secretarius consilii Regii consiliaris, qui eum a clarissimo viro J. Hurtales Boetalerio utendum acceperat, ut ejus mihi copiam faceret: quo libro usum etiam Lambinum video. Sed is, ut non tam vetus erat, quam superiores illi duo,

Joannes Georgius GRÆVIUS *Lectori.*

H Abes hic sexdecim Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, quæ partim per diritatem temporum, partim per fatorem insignem illum bibliopolum, Daniælem Elsevirium, qui illorum editionem suis typis procurandam suscepit, nobis eripentium acerbiter, diutius aliorum spe, nostrisque votis inter operarum manus fuerunt jactata. Quam rationem in his edendis secutus fuerim, declaravi dum in proemio, quod præfixum est illis, quæ dicuntur ad Familiares scriptæ. Ipsum Ciceronis contextum maxime composui ad Petri Victorii, cui Cicero præceteris salutem debet, editionem postremam, quæ Florentiæ prodit apud Juntas M. D. LXXI. Hanc, cum rarissime sit, & a paucis in his terris visa, necum communicavit magnum illud non Etrurie solius, sed Europæ decus, omnium eruditorum amor ac delicia, Antonius

Magliabechius, cujus bene de omni doctrina, & quicunque dignitati ejus tuende serviunt, merendi studium ut nunquam fatiscit, sic nec laus ejus, omnium ore celebrata, sed omni præconio major, unquam conticecet. Post Victorium, Ciceronis & multorum aliorum præstantium scriptorum Esculapium unicum, quamvis multi, iique primarii in republica literaria viri, Paulus Manutius, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, Dionysius Lambinus, Fulvius Ursinus, in his epistolis integritati restituendis, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque prædiis, elaborarunt; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem contulit, nemo plures fœdioresque maculas delevit, & plura dilucidavit obscurissima loca, quam Simeo Bosius Lemovicum prætor eruditissimus, usus tribus optimis codicibus vetustis. Ingenio is erat acuto,

De ordine epistolarum, quæ his libris continentur, hoc semel dictum volo: quicunque eas primum digessit, ut hodie leguntur, eum non servasse temporum rationem quo scriptæ fuerunt. Verum quia non alio ordine extant in libris antiquis, quam in vulgatis, hunc errorem potius ferendum duxi, quam ex opinione quicquam mutandum.

Magliabechius, cujus bene de omni doctrina, & quicunque dignitati ejus tuende serviunt, merendi studium ut nunquam fatiscit, sic nec laus ejus, omnium ore celebrata, sed omni præconio major, unquam conticecet. Post Victorium, Ciceronis & multorum aliorum præstantium scriptorum Esculapium unicum, quamvis multi, iique primarii in republica literaria viri, Paulus Manutius, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, Dionysius Lambinus, Fulvius Ursinus, in his epistolis integritati restituendis, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque prædiis, elaborarunt; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem contulit, nemo plures fœdioresque maculas delevit, & plura dilucidavit obscurissima loca, quam Simeo Bosius Lemovicum prætor eruditissimus, usus tribus optimis codicibus vetustis. Ingenio is erat acuto,

fed.

sed nimis ingenio suo favebat & indulgebant, conjecturas non paucas, quas ex corruptis & exoletis membranarum veitigiis faciebant, ipsi Tullio supponens, in vitis Muffi & Grattis, quæ pudorem in primis requirunt in his, qui antiquorum scripta recognoscunt & interpretantur. Excessit medicina modum. Remedia vulneribus ipsis sunt graviora. Si suas de locis depravatis cogitationes in annotationibus subjektivis exponunt, nemo reprehendit: sed si suspiciones suas pro genuinis scriptorum dictis venditant & inculcant, merito damnantur a cunctis, qui reverenter habent illas venerandas præcæ sapientiæ & doctrinæ tabulas, quæ emeruerunt ex illo fœdissimo naufragio. Admisi ego quæcumque librorum antiquorum fide remissis Bosius egregie; conjecturas meas & ipsius & aliorum, nisi Euclidæ quædam ratione firmentur, ut ne Pyrrho quidem de his dubitare possit, rejeci, malique cum Victorio corruptam veterum codicum scripturam retinere, quam nostrorum hominum commenta Tullio subdere. Miror Janum Græverum, maris emundæ senem, in sua Ciceronis editione, quam merito magni faciunt omnes, in his epistolis ad Atticum ne latum unguem a Bosio discessisse. Ego quidem probo plurima in Bosio, sequor divisionem ejus epistolarum, pulcherrimas emendationes ex optimis libris deprempatas arripio, sed audacem nimis interpolationem, nulla sussultam librorum auctoritate, probare non potui. Præter notas, quas ipse juris publici fecit Bosius, leges hic nonnullas ineditas ante, quibus priores auxerat sua manu. Eas excerpti, & mihi misit civis Bosii, Stephanus Balthus, non minus candore & diligentia in erendis antiquis Ecclesiæ Christianæ monumentis, quam solertia & doctrina in his illustrandis ubique gentium celebris. Vellem in Balthus manus incidisset quæque, quæ Bosius paucis diebus ante mortem et a sceleratissimis hominibus clam illatam, ad amicem suum Ludovicum Carionem, se notis suis adiecisse scripsit, testatus se epistolas ad Atticum, relegisse & recensuisse, multa addidisse, quæ præterierit, in quibus hæc haut inscita, nec dum a quoquam satis intellecta, de percriptionibus, plurimum nominibus, & paratis; de servorum, qui populo placue-

rant, coacta manuissione, de gentis populi, de matrum testamentis ante Sc. Orphitjanam: de legibus variis & alimentaria Curionis: de prædatoribus: de Hæcæ & Ciceronis: de Varronis & alia, ut ex ejus literis prodidit Carrio in Emendationibus. Sed hæc frustra optamus. In libri primi prioribus septemdecim epistolis videbis non paucas annotationes magni Isaac Casauboni, nunquam antehac in publico visas. Mompelli cum literas politiores promitteret, publice interpretatus est epistolas ad Atticum. Acroasis has in paucas illas, quas dixi, meæ fidei per Cl. V. Jacobum Gronovium commisit non multis ante beatum suum decessum mentibus filius patre tanto dignissimus, meique, cum superseset, studiosissimus, Mericus Casaubonus. Ex iis delibavi, quæ cæterorum interpretum studium & solertiam figerant. Quod si in alios libros incomparabilis viri notas nobis non invidisset fortuna, magna lux, magnum ornamentum accessisset huic editioni. Nam quæ fuerit capitalis illius ingenii excellentia, quæ doctrinæ latissime diffusæ varietas & copia, nemo ignorat nisi hospes in literis, nemo negat nisi livore perditus: quod vero fuerit ejus in his epistolis evolvens studium, mihi fidem fecit editio Bosiana, quam detriverat, & cuius margines impleverat, quas in his festis dignas observavit, annotatione. Eius copiam mihi fecit vir itidem eximius, & theos Oxoniæ Professor celebrissimus, probitate, doctrinæ, multique alius dori-bus mihi, & qui eum norunt, (quis autem paulum humanior eum non nori?) carissimus. Ex hoc quoque libro invenies subinde notatum istarum peni instructum esse. Bernhardt liberalitati debet præ hæc editionem Lambini omnium Ciceronis operum Argentoratensem, quam cum veteri codice commisit & Petrus Pithæus. Quid dicam de symbolis pulcherrimis, quas ad harum epularum apparatus contulit summus ille doctor meus, Joannes Fredericus Gronovius & Adolescentibus interiorum literarum cupidis epistolas has explicat domo, multaque in illis, quæ erant fagacitate & insipientia perpicacia viderat, aliis aut insipientibus, plurimum nominibus, & paratis; de servorum, qui populo placue-

filii,

fili, Jacobi Gronovii, ingenii doctrinaeque laude paterni nominis gloriam propagantem, accepta feres. Nec hac sola, sed & veteris codicis Anglicani, quem cum adolefens beatam illam insulam perlustraret, in Balliolensi Collegio reconditum & ignotum invenit, & cum Michaelis Bruti editione Lugdunensi composuit, varias lectiones. Hic est codex Balliolensis, quem toties laudo, & qui mihi plurimum profuit in his literis perpolendis. Ei accesserunt excerpta codicis Academiae Jostiae, quem Helmshadensium appello; quemque vir amplissimus & doctissimus Lucas Langermannus, cum ibi ad capessendum ingenii cultum in primo aetatis vere degesset, cum editis contulit. Nec sine ingratum voluntatis nota prateriri potest illustrium Falconerorum fratrum, Octavii & Pauli beneficium, quo me, & Tullii studiosos devinxerunt, cum Murreti notas, quas apposuerat editio Roberti Stephani, jufferunt describi, & ad me curari. Eas passim ceteris adspersas reperies. Vides quantum aris alieni contraxerim in adornanda hac editione. Quae si tibi probabitur, satis magnam gratiam sibi perfolutam existimabunt, qui nobis commodaverunt; ego vero satis magnam laborum tulisse fructum existimabo. Vale, ceteraque Tullii opera, si Deus vitam & otium indulserit, expecta.

Anno M. DC. LXXXIII.

Josephus OLIVETUS Lectori.

Præfationum hoc satis esse arbitror, ut ejus generis ne quid a me confici oporteat: sed erant tamen nonnulla, quae breviter & articulatim proponerem.

I. Grævi diligentia cum fuerit magna in omnibus, quae attigit, Ciceronis operibus; tum vero in Epistolis ad Atticum, singularis. Ac mihi quidem locupletandae hujus editionis subsidia undique conquirenti, nihil admodum, quod Grævium nigerit, oblatum est. Nisi forte aliquod putatur esse Antonii Govanni in duos primos libros Commentarius, in lucem missus Lutetiae MDXLIV. At illic ita nihil est, quod non alibi melius; ut in Grævio neglectus videri potius debeat, quam ignoratus.

II. De posterioribus Simeonis Boffi Notis, quas primus vulgavit Grævius, hoc dicere habeo. Bibliothecam in Regiam & Colibertina migravit codex, qui eas continet. Frons hoc praefert inscriptionem: *Est, quae in margine adscripta sunt, descripta sunt ex autographo V. C. Simeonis Boffi, qui ea addiderat in suo editionis ipsius exemplari.* Stephanus Baluzius Tardulsi descriptis Ratiisivi Lemovicem VIII. Kal. Augusti, M. DC. LXXVI. Hujus igitur codicis facta mihi copia, additamenta illa lustravi diligenter: lectionum varietates (vix quidquam aliud) ostendi: probare Boffus, an improbare, nullum indicium. Cum tamen usus esset Grævius exemplo non

bene emendato, hanc ego sumpsit operam, omnia ut conferrem. Sic recognita suis quaeque locis inferam, cum hac subscriptione *Boffus Baluzianus*, qua significetur, ea, quibus adjuncta sit, non ex Boffianis olim editis, sed ex illo, quem dixi libro, petita esse.

III. Quoniam de variis lectionibus ceppi dicere, hoc non omitam. Quas, ut institutum est meum, dabo *Vistorii* signatas nomine, non suppeditavit illa operum Ciceronis omnium Veneta editio MDXXXVI, sed Florentina MDLXXI, in qua reparator ille Ciceronis, ac vindicet, industria monumentum suae, & criticae, ut ita dicam, religionis esse voluit.

IV. Haberi possunt, quod esse nolo, immemor & ingratus, nisi praedicem, quantum Nicolao Huberto Mongalto debeam, qui elaboranda ea, qua sermonem patrium ditavit, epistolarum ad Atticum interpretatione elegantissima id affecutus est, ut in illis acutius Grammaticis omnibus fastidiosa esse ipsam laude dignissimum iudicet. Quoniam autem ejusmodi est, ab amico esse ac sodali profectum gaudeo, & Academiae Francicae, cuius fovemur ambo in sinu, gratulor.

V. Restat, ut adiutramat historiarum, quam haec literae complectuntur, informationem habeamus. Quomobrem collecta hic statim dabo argumenta librorum

XVI,

XVI, quae Leonardus Malaspina singulis singula praefixit.

LIBER I.

Libri hujus epistolae partim ante consilium Ciceronis, partim post consilium scriptae sunt. Nam toto consiliatus illius tempore Atticus Roma fuit, omnium consiliorum & actionum ejus monitor, adiutor, & administrator. Porro ille, quae consilium antecedit, quae sunt numero novem, nimirum usque ad eam quae incipit, *Tenuis illa*, nihil sane continent quod ad historiam magnopere pertineat. Consequentes vero, usque ad epistolam, *Nihil mihi*, M. Messalla & M. Pisonis Cons. datae, primum, rem Clodii narrant, ut domi C. Caesaris cum vestitu muliebri deprehensus fuerit, cum pro populo fieret; totumque de re illa iudicium, quae non modo praefatas & aequum, sed etiam praeter omnium hominum opinionem, absolutus fuit: deinde, quam mortuo plausu populi Romano Pompejum exceperit & nobili illa Asiatica expeditione redeuntem. Nam cum nobiles homines, in iis L. Lucullum cum primis, haberet insentos: illos, quia hominis potentiam agere ferrent, adeo crevisse, ut iam formidabilis posset esse; hunc, quia erepti sibi triumpho de Mithridate, iam do obtinere nuntiarentur, deque militum praemis decerneretur: sed ne illud quidem, ut rebus ab se gelis recitandis plausus ex animo daretur. Atque id est quod ait epistola XII:

Prima concio Pompeji qualis fuerit, scripsi ad te antea: non jucunda misisti, inanis improbit, beatis non grata, bonis non gravis. Quae quidem res omnium, quae deinceps secuta sunt, malorum fons & origo fuit. Nam quod nec per Messallam & Pisonem primo anno, nec per Metellum & Afranium, ex quibus hunc omnibus invidis per largitionem & ambitum, quo aetia sua confirmarentur, creandum curaverat sequenti anno: quod per Flavium Tribunum pleb. ut lex agraria periret, impetrare non potuit: coitione facta cum Caesare & M. Crasso, anno tertio obtinuit, Caesare in primis Consule declarato. Tres ultima epistolae, Q. Metello Ce-

lere, L. Afranio Cons. missae sunt: quorum consilium de Clodio ad plebem traducendo agi coeptum est. Quare si ratio temporum subdudatur, intelligemus tam paucas libri hujus epistolas, annis amplius octo scriptas fuisse: nempe a Consulatu minimum L. Cestilii Metelli Cretici, & Q. Marci Vatiæ, qui adilitatem Ciceronis statim fecutus est: usque ad eos quos proxime diximus Cons. Cessit autem Manutius primas epistolas distribuiffe videtur, & quasi in suum locum singulas revocasse; ut nullo negotio, quando primum inter eos initium scribendi factum est, cognosci possit.

LIBER II.

Duae primae libri hujus epistolae, scriptae sunt, item ut ultimae superioris, Q. Metello Celere, L. Afranio: reliquae omnes, C. Julio Caesare, M. Bibulo Cons. mensibus fere XVII. Continent vero contentiosem Clodii, ut tribunus pl. fieret: quod demum obtinuit, Caesare aditente; cuius item opera, quo magistratum illum capere posset, plebejus factus est. Nam Ciceroni iratus, quod quodam in iudicio statum temporum deplorasset, ejus inimicum Clodium, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire visentem, eodem die, boraeque, nova lege de adoptione ejus lata, tradidit. Auctor est Suetonius. Idem hoc ipso anno, agrariam legem petulit, contradicente Catone: quem ea de causa & senatu abreptum in carcerem duci iussit invitam, armis foro depulit; seque domesticis patrietibus, reliquo anni tempore, continere coegit; ut, nisi per edicta, profus nihil ageret: quae tamen ille acerbitatis in collegam proponebat; hisque comita in mensum Octobrem distulit. Perla igitur lege, xx millia hominum, qui tres pluresve liberos haberent, in campum Stellatam majoribus consecratur, ut Tranquillus ait, in agrumque Campanum ad subsidia Reipublice vigehalem relictum, induxit. Publicanos a Catone vexatos, remissionem petentes, tertia mercedem parte relevavit. Et ut in quosdam diverse factionis cives sevirer posset, Vettium quendam premium adduxit, qui se ab illis, de inferenda Cn. Pompejo nece sollicitatum dice-

ret:

ret: quamvis irrito conatu, propterea, quod unum atque alterum, frustra, nec sine suspitione fraudis, nominaverit. Quare tam precipitis consilii eventum dispensantes, interceptis veneno indicem creditus est. Hæc fere in hoc secundo libro continentur ad Republicanam spectantia. Alia, privata sunt.

LIBER III.

P. Clodius ope Cæsaris Consulis, Tribonus pl. declaratus, ut magistratum iniret, illud unum spectavit, ut M. Tullium inimicissimum suum ulcisceretur. Itaque duabus legibus, quarum altera frumentum, quod antea semis æris ac trientibus esset in singulos modios, gratis dabatur: altera non solum collegia, quæ senatus sustulerat, restituta sunt, sed nova etiam ex omni vulgi sæpe atque servitio constituta. Plebis voluntate sibi adjuncta rogationem promulgavit contra eos, qui sine iudicio populi, civem Romanum necavissent, quæ tametsi cum nullo nominatim agebat, nemo tamen dubitabat, quin Ciceronem peteret, qui in suo consulatu, quanquam ex senatus-consulto, tamen iniuste populi, contra leges in cives animadvertisset. Id cum agi videret Cicero, mutavit vestem, & cum eo, velut in communi calamitate, ad hominum xx millia. Verum cum se a Cn. Pompejo, M. Crasso, Cajoque Cæsare destitutum videret, ne sua causa cædes civium fieret, invidiorum, ut ipse palam queritur, consilio, circiter Calendas Aprilis, urbe cessit, Gabinio & Pisoni consiliabus: domus ipsius a Clodio flammis incensa: area Libertatis consecrata: bona publicata: prædia direpta sunt: lex de ejus exilio perlata: eique aqua & igni interdictionem: & ne quis rectum intra quadringenta millia passuum ab Italia præberet: ne quis de eo ad senatum referret: ne decerneret: ne dispartaret: ne loqueretur: ne pedibus irret: ne scribendo adesset, ut in oratione post reditum in senatu & pro domo legitur. Ille ergo in Macedoniam transmittens, Thesalonice apud Cn. Plancium, toto fere illo exilii tempore mansit: unde, præter paucas ex itinere missas, omnes fere libri hujus epistolæ datæ sunt.

LIBER IV.

Hoc libro, quatuor annorum, epistolæ continentur. Tres primæ P. Lentulo Spintheræ, Q. Metello Nepotæ: quinque consequentes, Cn. Lentulo Marcellino, L. Philippo: post has, totidem Cn. Pompejo Magno II. M. Crasso: reliquæ usque ad finem, Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo Coss. scriptæ sunt. Necessæ est autem aut eas una fuisse, aut non plures ab eo, qui epistolam congeffit, inventas. Primo igitur, reditum Ciceronis continent: qui fuit prid. Non. Septembris, duodevigesimo mense, post ejus fugam: Quomodo area domus illius, pontificum sententia liberata fuerit: domus ac villa publica pecunia restituta: & cum in reditu ejus, summa annonæ caritas esset, S. C. in sententiam illius factum est, quo Cn. Pompejo rei frumentariæ per quinquennium cura dabatur; cum eodem imperio, quod in bello Piratico habuisset: item, ut T. Annius Milo sepe cum Clodio, ædilitatis candidato, manu armisque dimicaverit, ne ejus comitia haberentur. Hæc in tribus primis epistolis. In proximis, quæ Cn. Lentulo Marcellino & L. Philippo Coss. scriptæ sunt, nihil est historia dignum, nisi de Domitii repulsa in petitione Consulatus: qui etiam foro per vim pulsus sit: seruo illius, qui lucernam præferabat, interfecto: creati vero sunt ex interregno & per vim, Cn. Pompejus II., M. Crassus II. quorum anno scriptæ literæ reditum Ptolemæi in regnum stricim atringunt: turpemque Crassi in provinciam Syriam professionem, dirarum obnuntiatione neglecta. Porro autem literæ quarti anni Ap. Claudio videlicet, & L. Domitio Coss. candidatorum ambitum & contentionem habent; quæ tanta fuit, ut M. Messalla & Cn. Domitius ex interregno, septimo hujus anni mense consules declarati: vix denique fuerint: idque Q. Pompejo Ruffo Tribuno pl. qui intercessionibus comitia tollebat, in carcerem coniecto ex S. C. ceterisque, si quis impedire conatur, deterritis. Continent etiam A. Gabinii reditum, nocturnumque in urbem ingressum, omnium hominum odium adversus illum: accusationem de majestate, quod contra senatus populique iudicium, Ptole-

Ptolemæum in regnum reduxisset: & quædam alia, sed pleraque privata, atque domestica. Inter proximæ superioris libri epistolæ, atque hujus, menses octo fluxerunt: nimirum ex Calendis Jan. ad Nonas Sept.

LIBER V.

Ex Antepenultima epistola superioris libri, atque hujus secunda, intelligimus cessationem esse scribi inter eos, annos ipsos duos, & menses paulo amplius sex: nimirum ex a. d. IX. Kal. Nov. L. Domitio Ahenobarbo, & Ap. Claudio Pulchro Coss. ad usque mensem Majum, Coss. M. Marcello, & Ser. Sulpicio: quo mense Cicero Proconsule, in provinciam Ciliciam, cum imperio, Roma profectus est, sibi & S. C. & lege Curiata traditam extra sortem: Apioque successit. Scriptæ sunt autem libri hujus epistolæ, ex itinere magna ex parte: reliquæ ex provincia, quo pervenit prid. K. Sext. cum Roma egressus est, ut diximus, circiter K. Maji, Marcello & Sulp. Coss. Quæ ex itinere scriptæ sunt, nihil continent memorabile: quæ in provincia, tantum, quæ moderatione, quæ abfinitia illam gubernavit: quoque modo de comparaverit, si forte Parthi in suam provinciam irruptionem facere conarentur. Nam cum superiore anno, exercitum populi Romani, Crasso duce interfecto, miserabili clade affecissent, reliquæque illius, haud sane magna manu, in Syriam persecuti, a Q. Cassio Longino fortissime repulsi fuissent: majori ac firmitiori vi, hoc anno redierunt: ab eodemque Cassio rursum Syria excedere coacti sunt: Ita enim infra Cicero: *Interim ramore adventus nostri, & Cassio, qui Antiochie tenebatur, animus accessit: & Parthorum injeclus est. Itaque cedentes ab oppido Cassius insecutus, rem bene gessit: qua in fuga, magna auctoritate Osaces dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interit post dies.* Continetur item his epistolis, quomodo Cicero in Amano, Pindemio, quomodo Eleuthero-Cilicum capto, nomen Imperatoris affectus fuerit, & quædam alia, haud magni ad historiam momenti. Cessatum est autem scribi inter eos toto consulatu Cn. Domitii Calvini: M. Valerii Messallæ: item Cn. Pompeji

Magni III. & Q. Metelli Scipionis.

LIBER VI.

Qui has M. Tullii epistolæ in libros distribuit, si mihi videtur, libri alius initium hinc maxime fecisse, quod hæc alius Consulibus, quam superioris libri scriptæ fuerint: nempe L. Emilio Paulo: C. Claudio Marcello: quem Sestonius Marci Marcelli patrem facit: Dio solummodo: vel, ex aliorum opinione, fratrem. Hic igitur liber, certum argumentum nullum habet, quod ad Remp. pertinet. Nam bellum Parthicum, cuius hic mentio fit, in metu potius, quam re ipsa fuit: cum anno superiore, qui ab illo cepto quartus fuit, finem accepit. De rebus urbanis, quod odiosa quadam de Cicero audisse scribit, tale fuit. Cæsar cum vereretur, ne se iniqui fuit, provincia atque exercitu spoliarent: sicque cogeretur, si consuli ferri vellent, privati ac præsens peteret: L. Paullum Consulem, & C. Curionem Tribunum pl. antea suis actionibus adversantes, grandi mercede sibi conciliavit: quorum opera factum est, ut retineret exercitum. Nam cum de illo remittendo referretur, Curio ita est assensus, si reliqui quoque dimitterent: Pompejum notans, sine dubio. Hoc anno Cicero de provincia deceffit. III. Kalend. Sext. atque Idibus. Octob. Athenis fuit, unde postrema libri hujus epistola data est. Reliqua sunt privata atque domestica: de Tullia Dolabella collocanda: & aliis rebus.

LIBER VII.

Continentes sunt libri hujus epistolæ cum superioribus, ut hæc ipsa prima illa esse videatur, quam proxima superiore, postero die se daturum, promiserat. Scriptæ porro sunt partim ex itinere, etiam ex provincia redit: partim ex fuga, quam, audito Cæsaris adventu, cum consiliibus totoque senatu excurtus est. Nam cum ad urbem prid. Non. Januarii accessit, ibi demoque spe triumphi, quem sibi frequens senatus, ut ipsem scribit ad Tironem, efflagitabat, moratur: XIII. Kal. Febr. nuntio illo, ut diximus, accepto, coactus est exire, atque eam cogitationem omittere. Etenim, cum in sententiam Scipio-

nis S. C. factum esset, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus Remp. facturum videri: eique S. C. M. Antonius, Q. Cæsius Tribunus plebis intercessissent; de intercessione relatum, acerbissimeque decretum fuisset: illi, urbe cedentes, ad Cæsarem, se, qui tum erat Ravennæ, consulissent: Cæsar, iis maxime auctoribus, trajecto Rubicone, Ariminum, quod erat extra provinciam illius, cum venisset, tantus pavor repente urbem invasit, ut passim fuga turpissima facta sit. Continent autem Epistolæ priores, a prima usque ad decimam, quæ incipit; *Subito consilium cepi*, habitationem, sollicitudinemque Ciceronis animi, quoniam modo cum Cæsare Pompeioque se gereret, cum utriusque esset amicus, & illum uterque suis annumeraret: posteriores usque ad finem libri, cum multa alia, tum querelam de Pompeio: tum sine ratione gesta esse omnino ab illo atque geri: accusationem Cæsaribus impudentiæ, legationem L. Cæsaribus ad Pompejum & Consules, C. Cæsaribus nomine; & quæ illi ad hæc responderint. Reliqua privata sunt. Scriptæ porro sunt illæ, L. Paulo, C. Marcello Coss. Illud etiam sciendum, absente Cicerone annuum & menses circiter octo. Profectus est enim in provinciam inveniæ Maio, Ser. Sulpicio & M. Marcello Coss. in eaque & in itinere L. Pauli & C. Marcelli consilium consumptum, ad urbem suam prid. Non. Jan. Consulatum L. Lentulo & C. Marcello ineunibus.

LIBER VIII.

Scriptæ sunt libri huius epistolæ, Consulibus item L. Cornelio Lentulo, & C. Claudio Marcello; continentque historiam dierum XVI, Pompeij videlicet, Pompejanorumque trepidationem: curam in delectu habendo: gesta a Cæsare in Piceno, & in Pelignis ad Corfinium; Domitii, Domitianorumque dedicationem; sollicitudinem Ciceronis, aut potius æstum, Atticum consulens, si Pompeius Italia excedat, quid sibi faciendum sit; navigandumne cum illo, an in suis prædiis manendum: & multa in utraque partem disputantis.

LIBER IX.

Continentur item hoc libro Cnæi fuga Brundisium, atque inde in Macedoniam transmissio, quæ fuit Idibus Martiis, præmissis antea Consulibus L. Cornelio Lentulo, & C. Claudio Marcello, cum omnibus pene magistratibus, cunctoque Senatu: æstus animi ægritudineque Ciceronis, Atticum consulens, cum Pompeius Italia cesserit, quid sibi faciendum sit: redeuntemque a Brundisio, quo Pompejum fuerat persecutus, expectare debeat, & quo maxime in loco, quo vultu sermoneque excipere: denique congressus ipse cum Cæsare, & utriusque discessus. Quæ omnia acciderunt diebus paulo plus viginti. Nam quotidianæ inter eos erant literæ.

LIBER X.

Argumentum idem fere est libri huius & superioris. Queramonia de perditis Cæsaribus & Pompeij consiliis: Curionis congressus, Propretoris, in Siciliam proficiscens, largæque & liberaliter de sua Cæsarisque in Ciceronem voluntate pollicentis: Quinti filii scelus, Romam profecti, Hirtioque, tum patris tum patrii excedendi consilia indicantis: Deliberatio, an, quæ in Hispania gerantur, expectandum sit, ad quod & sui & multi alii hortabantur: Cæsaribus literæ, ne quo progrediantur, momentis: Cælii, ut aliquod oppidum eligat, vacuum a bello, rogantis; Antonii id ipsum, & mandatum sibi significantis, ne quem Italia excedere permittat: Congressus cum Servio Sulpicio: Fuga Catonis ex Sicilia in Africam transmittentis: firmum propositum proficiscendi, primum occulte, postea palam. Scriptæ sunt epistolæ ex ante diem III. Non. Aprilis, ad XIII. Kalendas Junias plus minus: iidem L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello Coss.

LIBER XI.

Siluntur menses fere novem. Conscendit enim, ut ad Pompejum navigaret, VIII. Id. Junii, Lentulo & Marcello Coss. ut ex epistola VII. ad Terentiam cognosci potest: & ex eo tempore scriptæ literæ,

æ, ad mensem Februarium, præter primas libri huius, nullæ inveniuntur. Nam cum Cæsar, a colloquio illo Ciceronis, quo de penultima epistola proximi libri agit, Romam se contulisset, pecuniamque ex sanctiore arario, nequidquam repugnante L. Metello Tribuno plebis abfussisset: rebus nonnullis ad suum arbitrium constitutis, Italiaque Antonio tradita & commendata, ipse in Hispaniam, contra Pompeij legatos exercitum duxit: quo tempore Cicero in Macedoniam VII. Id. Junii, ut diximus, transiit, unde priores quatuor datæ sunt; sed C. Cæsar II. & Servilio Isaurico Coss. ante pugnam Pharsalicam, partim ex castris Pompeij, partim Dyrrachio; nam Cæsar, devictis legatis illis, Hispaniaque rebus compositis, Romam reversus, consulque cum Isaurico declaratus, exeunte anno, ut ait Dio, ut Plutarchus prid. Non. Jan. jam exercitum in Epirum deportaverat. Reliquæ autem epistolæ Brundisio, quo jam acie devicto & fugato Pompeio, Cicero se contulerat, datæ sunt, nisi fallor, mense Octobr. Nam ad Terentiam scribens, libro epistolarum ad ipsam, pridie Non. Nov. *Quod nos* (inquit) *in Italiam salvos venisse gaudeo*, &c. ut ante eas Brundisio alia datæ fuerint. Fuit autem Brundisii menses minimum undecim; ab exitu, inquam, Octobris, ad VI. Kal. Octobris, anni frequentis: ut rede subducenti mentes fuerint plus minus XXI. quo toto tempore Cæsar & cum Pompeio pugnavit, ipsamque in Ægyptum persecutus est: & ibidem contra Ptolemaum bellum gessit, in quo menses novem consumpsit, ut Appianus ait: & Romam rediens in itinere Pharnacem recepit. Quæ vero datæ sunt ex Kal. Jan. usque Kal. Septemb. C. Cæsare Dictatore III. & M. Antonio Mag. Eq. scriptæ sunt: Nam, ut Dio scribit, populus Rom. audita cæde Pompeij, consilium absenti Cæsari, in annos quinque, dictaturam in annum, Tribunitiarum potestatem in æternum mandavit. Qui dictaturam statim inivit, quamvis anni eximii, Calpurnium & Vatinius, eodem auctore, subrogaverit in ternos novissimos menses. Datæ autem pugnam Pharsalicam res fere domesticas continent: quæ post pugnam, querelam sui consilii, vel, ut ipse vocat, amenitiæ & temeritatis, quod

statim ab ipso consilio, Pompejanorum causa nondum plane desperata, & postea in Africa prope revirescente, non expectato exitu, in Italiam venerit: cum neque id tutum, neque honorificum esset. Quædam insunt etiam de remittendo nuntio uxori Terentiæ de inopia Tullia: de scelere Dolabellæ, qui Tribunus pl. leges perniciosissimas de novis tabulis ferret, omninoque misceret. Quædam etiam * de Q. Q. contra se scelerate loquentibus.

LIBER XII.

Omittuntur sine literis menses non pauciores sex: nempe ex Kal. Sept. in quibus definit liber proximus superior, ad usque tempus illud, cum iam bellum in Africa contra Scipionem & Jubam Cæsar gereret. Nam a bello Alexandrino & Puniti reversus, consulque III. cum M. Emilio Lepido creatus, summa hyeme, hoc est II. Kal. Jan. conscendit, exercitumque in Africam traiecit, quo tempore quatuor primæ epistolæ scriptæ sunt. Quinta & sexta datæ videntur, cum iam Cæsar vel appropinquaret, vel redisset. Rediit autem a. d. XII. Kal. Sept. aethiæ Hirtio. Reliquæ, cum in Hispania contra Pompeij liberos pugnaverat, eodem C. Cæsare Dictatore III. designato IV. collega, & Magistro En. M. Emilio Lepido, quo tempore Tullia ex partu, ut Pedianus & Plutarchus ajunt, apud Lentulum decessit. Itaque cum se Cicero Africam abdidisset, quotidianæ pene literas mittebat, gemitus luculæque continentes: item preces contentionemque, ut horri sibi ab Attico curarentur, in quibus filia sanum condere posset. Fluxere, dum he scribuntur, menses plus minus duodeviginti. Nam ex Kal. Jan. ejus anni, quo Cæsar in Africam transiit, ad æstatis initium anni illius, quo quartam dictaturam in Hispania gessit, tot fere numerantur. Æstare porro reliquam fuisse, scriptis libri huius epistolis, ex prima tertii decimi cognosci licet.

LI.

* De Q. Q. J hoc est, de Quinto fratre, & Quinto ejus filio.

LIBER XIII.

Exiguum tempus mutum fuit a literis, inter hujus libri epistolas & superioris. Scripta autem & hæ sunt, dum Cæsar in Hispania contra Pompeji liberos bellum gereret, ipso eodem IV. Consule sine collega, ut Sigonio placet: belloque confectio rediret: spatio fere mensium septem. Nam astantis initio, ut ex epistola prima colligitur, scribi cœpta sunt, fingamus ex Kalendis Junii, & mense Decembrii deserunt. Namque tertiis Saturnalibus, quæ fuerant XII. Kal. Januarii, apud M. Tullium Cæsar cenavit, ut est in epistola ultima libri hujus. Quanquam ultima illa videtur esse, cui est in hoc libro locus XLI assignatus, in qua de suo natali die agitur, qui fuit III. Non. Jan. Argumentum illarum multiplex est, sed plurimum in illis: de epistola ad Cæsarem missa: de quos in suos Dialogos includere debeat: de hereditatibus quibusdam: de Quinti filij improbitate, querela: de suo Carone, & Cæsaris Anticatoe: & de domesticis suis rebus nonnullis.

LIBER XIV.

Tres amplius menses nullæ extant scripte literæ: ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII. Jan. ad post. Id. Martias, quo die Cæsar occisus est. Occisus est autem, ut Vellejus ait, cum quinque menses post reditum ex Hispania Romæ fuisset. Scriptæ sunt autem hæ, M. Antonio, & P. Cornelio Dolabella Coss. Nam is, interfecto Cæsare, sæces statim, ut ait Paterculus, & insignia Consulatus sibi arripuit, antea designatus ab illo, quem sibi substitueret, in Partibus proficiscens. Continent vero potissimum Reip. tempestates, quæ illo casu, consecutæ sunt. Cicero quidem primis illis diebus, cum senatum in suam sententiam perduxisset, ut communis concordia causa, injuriarum memoria sempiterna oblivione tolleretur: Roma egressus est in suas villas, unde dedit hæc literas, modo spei, modo desperationis plenas. Privatim vero continent querelam de eminentis adis Cæsaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ fortis hominis, qui au-

sus fuerat in C. Marii nomen invadere, seque pro nepote illius gerere: & domestica quadam privatus. Datae sunt post Id. Mart. ad XVI. circiter Kal. Junii.

LIBER XV.

Non valde differens est libri hujus argumentum a superioris sententia. Scriptæ enim epistolæ omnes sunt, cum adhuc Romæ negotia tumerent, Antonijque & Octaviani ita omnia miscerent, ut, quamvis neque plane bellum, neque pax esset, appareret tamen rem ad arma deductum iri. Quo quidem tempore Cicero sibi timens, simulque filium Athenis philosophiæ operam dantem, cupiens invisere: cum jus liberæ legationis a Dolabella, non autem provincialis nempe Syriacæ, ut Plutarcho placet, haberet, (id enim ex his epistolis ac Philippica prima cognoscitur) iter cepit in Græciam, eo consilio, ut Kal. Jan. adesset, quod initium cogendi senatus fore, Hirtio & Pania consolatum ineuntibus, videbatur. Dum spes vero aliqua meliorum rerum fuit, Brutusque & Cassius mercatores urbani, quibus maxime recuperanda Reip. ratio mitebatur, si non Romæ, in proximis tamen locis, manebant: perque literas & edicta, cum Antonio populoque agebant; nusquam ille pedem. Cedentibus autem illis, & ipse consilium cepit abundi. Hæc illorum temporum historia est. Privatim tamen in his epistolis plura continentur, quæ persequi longum esset. Scriptæ sunt ex ante XVI. Kalend. Jan. ad Non. Quint.

LIBER XVI.

Male affecta oppressaque civitate armis Antonii, reique publicæ salute desperata, quod adhuc C. Cæsare vivente cogitaverat, iter in Græciam est ingressus, re tamen prius lente deliberata, quod & futuris de se hominum sermonibus moveretur, & egre a suis villulis Italiaque avelleretur. Ergo Puteolos primum progressus, inque Neseide Brutum allocutus, classem una cum Cassio parantem, qua ille in Macedoniam, hic in Syriam navigaret: Kalendis Sext. Rhegio conficiens, venit Syraculis. Unde cum transmittere vellet in Græciam, bisque ad Leucopetram, quod

est agri Rhegini promontorium, Austro rejectus esset, profectiois consilium abiecit: eoque magis, quod boni quidam nuntiî eo Roma venerunt, fore ut Antonius, esset in potestate senatus, senatores in urbem redirent, res conveniret. Hac igitur spe commotus Romam rediit, urbemque ingressus est Kalendis Septembris: & IV. Non. hoc est postridie Kalendas, ut scribitur Philip. V. eam dixit orationem, quæ est in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in suis prediis: quæ omnia commemorantur sex primis epistolis. Reliquæ scriptæ sunt incertis quidem diebus magna ex parte: omnes tamen ante Kal. Jan. quo toto tempore, hæc gesta fuisset traduntur. Cum M. Antonius & Octavianus occultis potius odiis inter se, quam aperta vi certarent, alterque alterum insidias preveterere conaretur: Antonius ante diem VII. Id. Octobr. Brundisium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, ut eas

sibi pecunia conciliaret: quas tamen, quod quidam ab Octaviano præmissi, multo plus obtulerant, attrahere ad se non potuit. Itaque & Martia & Decima illum postea deseruerunt, & ad Octavianum transierunt: qui item Octavianus eo ipso tempore, quo Antonius Brundisii fuit, ipse in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti spe, ingentique pecunia cepit. Nimirum denariis, ut Cicero ait, CCCO. Idque initium fuit armorum inter ipsos, cum antea neque bellum gererent, neque pacem haberent. Er hoc tempus illud fuit, cum Cicero ab Octaviano, per speciem capessende Reip. in Antonium sollicitus est: nihil se, nisi de illius consilio, nec nisi per senatum facturum, pollicente. Scriptæ sunt omnes, Antonio & Dolabella Coss. ex a. d. VII. Id. Quint. ad Nonas circiter Decembris. Atque his quidem multa alia continentur, sed vel domestica, vel huc pertinentia.



M. TUL-